

Nos Fridericus, plebanus de Chunigisperch, tenore presentis littere publice profiteamur et scire cupimus universi ipsam litteram inspecturis, quod ius patronatus sive collationis parrochie Chunigisperch, cui multo prefuimus tempore cura et nomine pastoralis solummodo ad religiosos et honorabiles in Christo viros domini abbatem et monachos conventus monasterii Waldsassensis pertinet tamquam ad legitimos collationis dominos et patronos. Et quia propter senium, quo gravamur, diem mortis cottidie prestolamur, hanc conscribi iussimus pro nostre protestacionis testimonio, evidencia et noticia tam presentium, quam etiam futurorum et ipsam litteram sigillo domini Sifridi decani de Valckenau atque nostro volumus communiri, parati sumus etiam pro confirmacione prescriptorum iurare genus quodlibet sacramenti quocumque loco et tempore viventes super ipso fuerimus negocio requisiti. Datum anno Domini Mo CCo nonagesimo, feria secunda post dominica septuagesime.